

06 12



INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

ANNI MDCCCXLVII A DIE XII APRILIS

INSTITUENDARUM.



Bransbergae.

Impressit C. A. Heyne.

1847



MUJ TOITV... KSIĘGIC II

KSIAZNICA MIEJSKA
IM. KOPEŃNIKA
W TORUNIU

~~Bibliothek~~
~~Chom~~

AB 1472

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Quoniam et anno praeterito, Commilitones carissimi, poetas Latinos publicis scholis vobis interpretari conati sumus, et in posterum eam lectionem identidem instaurabimus, non alienum a vestris studiis visum est pauca quaedam vobiscum communicare, quae ad versus Latinos recte efferendos pertineant: non illa quidem ex reconditioribus eruditionis fontibus petita, sed tamen quae non prorsus inutilia vobis fore existimabamus.

In puerili institutione, quum ad poetas Latinos legendos discipuli primum sese accingunt, ita jubentur versus recitare ut, quoties verbum aliquod vocali finiatur sequensque verbum a vocali ordiatur, prior vocalis silentio opprimatur. Sic omnes grammatici praecipunt, quorum libris illa aetate usi estis. Neque sane improbanda ea ratio videtur, ut quae tirores quam facillime assuefaciat ad versus Latinos justo syllabarum numero metiendos: dummodo ne quis sibi persuadeat, veteres quoque Romanos eodem modo vocales in fine vocabulorum scriptas recitando oppressisse.

Commune fuit Graecorum atque Romanorum studium hiatus vitandi, quod studium minus apparet in septentrionalibus linguis, quae quum omnino tum in verborum terminationibus tanta vocalium ubertate non gaudent. Et Graeci quidem ne hiatum admitterent modo apostropho modo crasi utebantur, modo verbis arte collocandis id vitium effugiebant: Romani vero elisionem vel synaloephen adhibebant.¹⁾

In plerisque linguis vocabula quaedam minora, eaque saepe recurrentia, extremam vocalem, alia vocali sequente, vel abjiciunt vel saltem possunt abjicere. Eaque elisione,

¹⁾ Nam de crasi apud Latinos scriptores, qualis est ita'st, bonu'st, hoc loco non attinet dicere.

cujus signum apud Graecos apostrophus est, ne Romanos quidem caruisse consentaneum est. Dubitare enim vix potest quin in hunc modum locuti sint: Studiisqu' asper-rima belli, Siv' aliud, Siccin' ais,²⁾ Illuc und' abii, et quae sunt ejus generis. Ceterum tam ex similitudine linguae graecae quam ex ipsa rei natura colligere licet, breves tantummodo vocales ita elisas esse.³⁾

Quod vero plerique recentiores statuunt, quodque ex antiquis Marius saltem Victorinus disertis verbis tradit (v. C. L. Schneideri gramm. major I. 1 p. 131.) eam ubique hiatus medelam esse adhibendam, ut prior vocalis prorsus opprimatur, posterior sola audiatur, id non intelligo quomodo cuiquam veri simile fieri potuerit. Statuunt vocalium concursu molestiam quandam auribus afferri, eamque ob causam elisionem esse inventam: sed vereor ne remedium plus incommodi afferat quam malum ipsum cui mederi volunt. Primum enim non semper in vitio est vocalium concursus, nimisque anxiam hiatus fugam Quintilianus reprehendit (XI, 4, 35 sq.), atque adeo hiulca nonnunquam decere fatetur. Deinde elisione illa tam asper, tam horridus nonnunquam in optimis poetis sonus versuum efficitur, ut ne nostrae quidem aures patienter eum tolerare possint, multo autem minus Romanorum aures, tantopere teretiores quam nostrae sunt, tulissent.⁴⁾

Non opus esse credo multis exemplis multisque verbis, quibus demonstramus, suavitatem illam soni, qua linguae antiquae, omnesque linguae meridionales, conspicuae sunt, inde potissimum nasci quod in illis multo plura vocabula quam in linguis septentrionalibus in vocales desinant: quas si tollis, causa simul dulcedinis tollitur.

Praeterea inter alias linguarum antiquarum virtutes ea non est ultima, quod omnia declinationum et flexurarum genera certis quibusdam indicantur syllabis finalibus, quarum pleraeque vocali continentur. Eamne igitur laudem, cui nostra lingua

²⁾ In illo ne interrogativo vocalis tantopere evanescere solebat, ut etiam consonanti sequente ommitteretur, idque non apud comicos tantum poetas, sed apud Horatium quoque, ut Sat. II, 3, 152 *men' vivo*.

³⁾ Narratiuncula notissima, quae est apud Cic. de divin. II, 40, fidem facit vocem *Cauneas*, quam quis ficuum venditor clamitabat, ita ad aures multitudinis accidisse ac si *Cave ne* eas diceret: unde sequi videtur ut etiam longa vocalis vocis *ne* interciderit. Sed ad omen faciendum imperfecta quaedam soni similitudo sufficiebat: praeterea qui merces venales vicatim proclamant syllabarum naturam pro arbitrio corrumpere solent.

⁴⁾ Recitate exempli gratia Horatii versum Sat. II, 3, 180 *jure Jurand' obstring' amb' uter aedilis fueritve Praetor*.

merito invideat, ut Romani sponte repudiaverint? ut sequente vocali mal' dixerint auditoribusque optionem reliquerint utrum mali an malo, malae, malum, malam, mala, male intelligendum esse censerent?

Adeone eos cupide credamus aurium nescio quam delectationem sectatos esse ut omnem perspicuitatis curam abjicerent? Quantam enim obscuritatem, quantum erroris ex recisis verborum terminationibus in omni oratione, in quotidiani denique sermonis commercio, oriri necesse fuerit, nemo non videt. Si quis e. c. paterfamilias exclamavisset: Filium optimum amisi! ne intelligi quidem demtis verborum terminationibus potuisset, utrum filii an filiae mortem lugeret: quo quid turpius in linguam latinam dici potest? Scio equidem fuisse viros doctos qui existimarent, in poematis tantummodo recitandis ea elisione usos esse Romanos, in pedestri oratione eam non usurpasse. Vellem exemplis prolatis docuissent in ulla gente duplicem appellandarum literarum morem obtinuisse, quorum alter poesi, alter pedestri orationi proprius esset: deinde non intelligo qui meliorem reddamus causam linguae latinae, si in pedestrem quidem orationem tam foedam labem cadere negemus, poesin vero ea laboravisse sumamus.

Haud raro quoque fit ut in clausula sententiae vox aliqua in vocalem exeat, primum autem sequentis sententiae verbum a vocali incipiat, ut

— — — en ipse capellas

Protenus aeger ago: hanc etiam vix, Tityre, duco. Virg. Ecl. I, 12

— — — arrectae mentes stupefactaque corda

Iliadum. Hic una e multis &c. Virg. Aen. V, 644

et Terentianum illud

Homo sum: humani nihil a me alienum puto.

Num etiam hic quis credat, vocales esse opprimendas, verba invita sententia jungenda in hunc modum: Iliad hinc? an moram interponamus illam quidem, sed nihilominus loquamur Iliad, quae vox latina non est?

Tum quid fiet in poëtis scenicis? In Trinummo Plautina versus 192 ed. Herm. hic est: Megaronides. Polliceor operam. Callicles. Ergo ubi eris paulo post? Megaronides. Domi.

ib. 521. Stasimus. Ei rei argumentum dicam. Philto. Audire edepol lubet.

ib. 589. Lesbonicus. En unquam adspiciam te? Stasimus. Imodo, imodo, imodo. Nemini in mentem venire potest v. 192 Megaronidem, vel si mavis actorem qui ejus personam sustinebat, nihil nisi Polliceor oper' protulisse et deinde conticuisse ac si divinitus praesagiret, alterum senem a vocali exorsurum esse orationem.

Gellius N. A. VII, 20 hendecasyllabos Catullianos laudat, quorum extremus est: Ebriosa acina ebriosioris, censetque poetam, quum usitatioe forma ebrioso acino dicere potuisset, illud alterum praetulisse ob suavitatem hiatus, quae nonnunquam ejusdem vocalis iteratione efficeretur, velut in Homericis locis *Αἶαν ἄνω ᾤθεσκε*, et *Ἡ δ' ἑτέρη θεοῖ προορέει εἰκνῖα χαλάζη*. Videtisne Gellium a recentiorum grammaticorum opinione tantum abhorreere ut etiam hiatus in illo versu inesse statuat: quod ego quidem nescio quam proprie dici possit, sed illud e scriptoris verbis manifestum est, Romanos non Ebrios' acin' ebriosioris recitasse, imo multum interfuisse inter sonum versuum Ebriosa acina ebriosioris et ebrioso acino ebriosioris. Similiter idem scriptor XIII, 20 disceptat utrum apud Virgilium praestet legere Turrim in praecipiti stantem an Turrem, pronuntiatque priorem lectionem ob majorem soni dulcedinem alteri esse praefendam.

Quid igitur de tota quaestione statuendum esse dicamus? Hoc nimirum, vocales hujusmodi finales nunquam silentio oppressas esse, sed Romanos per binas vel etiam ternas continentes tam citato linguae cursu transivisse, ut ne plus temporis, quam unius vocalis appellatio requirebat, absumerent. Ita ratio metrorum constabat, simul autem et perspicuitati orationis et soni suavitati fiebat satis. — Rem vere ita se habuisse etiam id vocabulum testatur, quo plurimum veteres grammatici utuntur. Non enim elisionem ⁵⁾ alterius vocalis, sed utriusque synaloephen fieri dicunt, ipsoque nomine satis declarant, neutram prorsus intercidere sed utramque conjunctim cum altera esse efferendam.

Non levis auctoritas opinioni nostrae accedere videtur ex comparatione linguae Italicae, quae latinam proxima cognatione attingit. Nam in ea quoque duae pluresve vocales, quae sese excipiunt, audiuntur illae quidem omnes, sed in metiendis versibus

⁵⁾ v. Schneideri gram. maj. I, p. 132 Elisionis nomine tum demum uti deberemus, quum vera fit apocope, cujus exempla proposuimus p. 4.

pro una syllaba censentur. Quam quidem consuetudinem homines Itali non aliunde quam e veteri lingua adsciscere potuerunt.

Si quis denique quaerit, unde factum sit, ut synaloephe in latina tantum lingua inveniatur, in graeca non item: causa ejus rei repetenda esse videtur a praecepto illo, quod uni latinae linguae proprium est, ut vocalis ante vocalem corripiatur. Quum enim in medio verbo id facere Romani consuevissent, ⁶⁾ quid magis consentaneum erat quam ut etiam in exitu verborum vocalem, sequente altera, tam festinanter efferrent, ut per se integrae syllabae spatium explere non posset, sed cum sequente jungeretur?

⁶⁾ In mediis quoque verbis synaloephen quasi quandam fieri dicere possimus, quum non modo brevis secundum praeceptum prior e duabus vocalis est, sed quum tantopere corripitur ut duae vocales (praesertim in sermone populari, cujus imaginem exhibent poetae comici) unam syllabam efficiant, ut mei, tuus, deum, hujus, novum, levi.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGICI.

ANTON. EICHHORN, DR. P. P. O. H. T. DECANUS.

- I. Historiam ecclesiasticam narrare perget singulis per hebdomadem diebus h. IX — X.
- II. Historiam Synodorum Varmiensium tradet dd. Lunae et Martis h. III—IV.
- III. Repetitiones de rebus e jure canonico desumendis instituet die Jovis h. III — IV.

PETR. THEOD. SCHWANN, DR. P. P. O. H. T. RECTOR.

- I. Introductionem in universam theologiam tradere perget diebus Lunae, Martis et Jovis h. VI — VII.
- II. Ex Theologia Dogmatica doctrinam de statu hominis originario, de peccato primorum parentum ejusque in posteros propagatione, et de generis humani redemptione tractabit diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. X—XI.
- III. Exercitationes repetitorias et examinatorias instituere perget die Mercurii h. X — XI.

MICH. JOS. KRÜGER, LIC.

- I. Antiquitates Hebraeorum sacras docebit diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. X — XI.
- II. Evangelium Lucae simul respiciens Matthaei et Marci evangelia exponet diebus Martis, Jovis et Saturni h. VIII—IX.
- III. Epistolam Paulinam ad Hebraeos dictam diebus Mercurii et Veneris h. III — IV.

JOAN. GEORG. SMOLKA, LIC.

- I. Ethices christianae catholicae partem primam docebit diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni h. XI—XII.
- II. Psalmos interpretabitur ter per hebdomadem.

B. ORDINIS PHILOSOPHICI.

LAUR. FELDT, DR. P. P. O. H. T. DECANUS.

- I. Historiam et naturam Disciplinarum mathematicarum inde ab antiquo aevo usque ad nostra tempora adumbrabit, dd. Lunae et Jovis h. XI—XII.
- II. Geometriam sublimiorem secundum librum a cel. Biot editum: Essai de Géométrie analytique etc. tradet diebus Martis et Veneris h. II—III.
- III. De calendario Juliano et Gregoriano disseret diebus Martis et Veneris h. XI—XII.
- IV. De Climatologia, de globis igneis et stellis transvolantibus disseret, et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet d. Mercurii h. XI—XII et d. Jovis h. II—III.

CAROLUS BIESTER, P. P. O. DES.

- I. Taciti Historias diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. IX—X.
- II. Euripidis Phoenissas diebus Lunae, Martis et Jovis h. II—III.
- III. Platonis Symposium dd. Mercurii et Veneris h. II—III interpretabitur.

MAX. TRÜTSCHEL, DR. P. P. E.

- I. Psychologiam empiricam docebit quater per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis h. matutina VIII—IX.
- II. Metaphysicam docebit quater per hebdomadem iisdem diebus hora vespertina V—VI.
- III. Metaphysicae Aristoteliae libros praecipuos offert interpretandos bis per hebdomadem diebus Veneris et Saturni hora matutina VIII—IX.

- IV. Exercitationes repetitorias et examinatorias instituet die Saturni hora matutina XI — XII.

CAROLUS CORNELIUS.

- I. Historiam saeculi XIV et XV enarrabit diebus Lunae, Martis et Jovis hora matutina VII—VIII.
 II. Dantis Comoediae partem alteram et tertiam interpretabitur diebus Mercurii et Veneris h. VII—VIII.
 III. De arte historica disseret semel per hebdomadem d. Saturni h. VII—VIII.

STIPENDIUM SCHEILLIO-BUSSIANUM.

De praemio, ejus fons est Stipendium Scheillio-Bussianum, unus tantum certavit. Hunc certatorem Ordo theologorum judicavit, in tractando, quod propositum erat, argumento diligenter et laudabiliter versatum esse ideoque eum constituto praemio dignum censuit.

Reclusa schedula prodiit nomen:

Adalbertus Werner Heilsbergensis.

In iis vero solvendis quaestionibus, quas summe venerandus Episcopus Varmiensis proposuit, tres cives academici elaboraverunt. Ex his unus ceteros vicit non solum lucido, quo disseruit, ordine, verum etiam magna diligentia et subtilitate disputandi, eamque ob causam Ordo theologorum eum constituto praemio ornandum censuit. His vero verbis insignivit, quod ille tradidit opus: „facilius est solem extinguere, quam ecclesiam obscurari.“

Aperta schedula apparuit nomen:

Augustinus Harwart Frauenburgensis.